

BS 1195
L3
V. 14
1891



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

COMMENTARIA

IN

ABDIAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Abdias
an disci-
pulus
Elias?

Dorotheus, episcopus Tyri, qui sub Constantino Magno vixit, et sub Juliano Apostata grandævus annorum 107 inter tormenta martyr obiit, lib. *De Vita et morte Prophetarum*: « Abdias, inquit, iste ex terra Sichem agro Bethaacaram, fuit discipulus Eliae, et cum illius nomine multa passus esset, servatus est. Tertius fuerat ex quinquagenariis, cui Eliae pepererat, descenderatque ad Ochoziam; ac ministerio regis sui postea relicto, prophetiae gratiam acquisivit, mortuusque est, ac sepultus cum patribus suis. » Eadem habet S. Epiphanius in *Vita Abdias*. Audi et S. Hieronymum hic: « Hunc (Abdiam) aiunt esse Hebraeum, qui sub rege Samariae Achab, et implissima Jezabel, III *Reg.* xviii, 12, pavit centum prophetas in specubus, qui non curvaverant genu Baal. Hic igitur, quia centum prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, et de duce exercitus fit dux Ecclesiae. » Additque: « Sepulcrum ejus usque hodie in Sebaste (ubi et Eliseus et Joannes Baptista sepulti sunt) venerationi habetur, quae olim Samaria dicebatur. Hanc Herodes in honorem Augusti Caesaris, graeco sermone vocavit Sebasten, » id est Augustam. Ubi nota S. Hieronymum non dicere hoc ex se, sed ex Hebraeorum sententia: ex qua sequitur Abdiam vixisse et prophetasse tempore Eliae, sub Achab rege Israel et Josaphat rege Juda, et fuisse primum omnium Prophetarum qui sua oracula scripserunt. Hanc Hebraeorum sententiam sequuntur, vel potius citant S. Dorotheus, S. Epiphanius, S. Isidorus, Eusebius in *Chronico* (sed mendose mendo librariorum, ait S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* xxxi), Clemens Alexandrinus, I *Strom.*, Rupertus, Hugo, Lyranus, Sanchez et a Castro in Proemio, lib. IV, cap. iii. Addit ex Hebraeis Mariana, Abdiam hunc esse tertium pentacontarchum, quem Ochozias misit accitum Eliam; cui supplicii Eliae pepercit, IV *Reg.* i, 13. Inde enim videtur renuntiasse aule, adhesisse Eliae, totumque se Deo tradidisse, ac idcirco donum prophetiae assensit. Imo nonnulli censent Abdiam esse Obdiam, quem Josaphat rex misit,

II *Paral.* xvii, 7, cum Michaa et aliis, ut doceret in civitatibus Juda. Unde Septuaginta ibi pro *Obdiam* legunt *Abdiam*. Verum ille Obdias dicitur fuisse princeps, non propheta: unde alius fuisse videtur ab hoc nostro Abdia (1).

(1) In definiendo tempore, quo hanc prophetiam editit Abdias, valde inter se dissentunt interpretes. Dissentunt etiam in eo, utrum cum Abdias in variis locis condat cum Jeremia, in suos usus converterit Abdiam, an Abdias Jeremiam.

Quoad primum, alii inter quos D. Calmet, Jahn, Schurrer, Rosenmuller, De Wette, Hendewerck, hanc orationem editam fuisse post Hierosolymam a Chaldeis captam et vastatam existimant, scilicet post annum ante Christum 599. Hac potissimum ratione nituntur, quod Abdias ut jam factas narrat, injurias Judaeis ab Idumaeis illatas in expugnatione Hierosolymae, antequam Nabuchodonosor ipsam Idumaeam subegerit. Quod argumentandi genus non est inexpugnabile: nam primo, concedamus Abdiam de expugnatione et vastatione Hierosolymae tanquam jam factis loqui, asserne potest illum intendisse devastationem a Chaldeis illatam? Longe sane abest ut de hoc puncto omnes interpretes et critici inter se conveniant. Grotius et Haetius de antiquiori vastatione hie agi putant. Quibus consentit Maurer, qui post Jager (*Ueber das Zeitalter Obadja's*, Tubing. 1837), has probationes ex historia producit: « Indicari quidem his quoque vers. 11-14 contineantur, expugnatam esse urbem Hierosolymitanam ab hostibus, eaque occasione Idumaeos hostilem in Judaeos animum prodidisse. Sed variis temporibus jam antea urbem ab hostibus direptam et expugnatam esse. Direptam esse ab Aegyptiis regnante Rechabeamo, I *Reg.* xiv, 25 et seqq.; II *Chron.* xii, 2 et seqq., a Philistaeis et Arabibus regnante Joram, II *Chron.* xxi, 16 et seqq.; ab Isosa, rege Israhelitarum, regnante Amasia, II *Chron.* xxv, 28 et seqq., expugnatam, parte Idumaei in exilium abducta a Chaldeis regnante Joakino, II *Reg.* xxiv, 1 et seqq., et mox iterum ab Israhel regnante Joachino, II *Reg.* xxiv, 8 et seqq. Ad Idumaeos vero quod pertineat, eos omni tempore infensissimos Judaeorum hostes fuisse. Conferenda imprimis esse quae in *Joc.* iv, 19; *Amos* i, 11 et seqq., de Idumaeis dicta legantur inulto atrociora his quoque de isdem Idumaeis habentur in hac Obadiae oratione. Temere igitur de ultimis regnantibus facta a Chaldeis expugnatione cogitari, nisi certa illius temporis reperiantur vestigia. » Secundo, consuetaria quae inde educunt Maurer et Jager, qui tanta vestigia reperiri negant, non accipimus, et supponendo hie agi de expu-

007390

Totum ergo fundamentum hujus opinionis, nimirum quod Abdias fuerit pentacontarchus Achab regis Israel, nititur traditione Hebræorum. Hæc autem traditio inerta est et dubia. Nam R. David et R. Abraham dicunt non constare quo tempore prophetauerit Abdias.

Responsio
doctrina
tiro.

Probabilius ergo alii censent Abdiam longe posterius vixisse et prophetasse, nimirum sub Joathan, Achaz et Ezechia regibus Juda, ac fuisse cœvum Osee, Joeli, Amos et Michææ prophetis, uti asserit S. Hieronymus, initio comment. in Osee; Theodoretus, Cyrillus hic, Ribera in Proemio, preliud. 2, et alii. Probat hæc sententia, primo, quia Osee communiter ponitur primus Prophetarum, juxta illud: «Principium loquendi Domino in Osee,» cap. 1. 2. Osee autem cepit prophettare sub Ozia et Joathan, ut ibidem dicitur. Ergo Abdias non fuit primus, nec sub Josaphat, sed sub Joathan prophetauit. *Secundo*, quia Abdias ait vers. 1: «Audivimus a Domino,» scilicet ego et Isaias cap. xxi, et Amos cap. 1, 11, stragem Idumææ. Ergo Abdias non antecessit Isaiam et Amos, sed eis fuit contemporaneus. *Tertio*, si Abdias propheta fuisse pentacontarchus Achab regis, utque hoc non tacuisset Scriptura ne Josephus, dum historiam illam Achab et Abdiæ fuse enarrant. *Quarto*, si Abdias sub Josaphat prophetaisset, prædixisset cladem Idumææ viciniorem, nimirum factam ab Amasia rege Juda, IV Reg.

gulatione Hierosolymæ, Jechonias tempore, concludine, licet illam jam præteritam esse tempora quo prophetauerit Abdias? Quis enim interpretum nesciat prophetas a Spiritu Sancto in remotissima tempora velut abduci, futura tanquam præterita describere?

Quoad *secundum*, ad Jeremias illam in Idumæos orationem, cap. xlix, 7-23, quod attinet, longe probabilis est, inquit Maurer, Jæger et doctor Schegg (*Dictionnaire encyclopédique de la Théologie catholique, art. Abdias*), propositum fuisse Jeremias Abdiam, non Abdiæ Jeremiam; unde sequitur, inquit Schegg, Abdiam Jeremias nullo antiquiore esse. Nam Jeremias bene potuisset iterum edere prophetiam veterem, et pene jam in oblivionem deductam, non autem cœvi Prophete vaticinium. Addit Schegg Abdiam Joelis prophetiam imitatum fuisse, unde concludit ambo eandem Jotha et Hierosolymæ fata prædicere, et Abdiam Joela tanto juniorem fuisse. Porro, inquit idem auctor, cum Joel vaticinium ad calamitates quas sub Joram Juda et Hierosolyma pertulerunt, pertinet (889-883), illud scriptis mandasset, rege Joa etatem minorum agente (878-838). Si Abdiam aliquot annis juniorem Joela accipimus, Idumæa potuit et non semel, regnante Joa, odiis et inimicitie contra Judæos libere indulgere, quam quidem crudelem victiam nostrum vatem in hac prophetia retrospectisse dicemus. Subjungimus more nostro breviorum indicem potissimum saltem interpretum qui peculiaribus scriptis Abdiam illustrarunt.

Inter catholice: Hogenem a S. Victore, Martinum del Castillo, in-4º, 1556; Ludovicum de Leone, in-4º, 1589.

Ex acatholice interpretibus: Solomon Gesser, 1618; Joan. Linsden, 1637; Aug. Pfeiffer, 1666, in-4º; Ludov. Mich. Crocius, 1678, in-4º; Georg. Frid. Heuvelius, 1699; Petrus Abresch, 1757; Joh. Gottloh. Schroer, 1766; Christ. Frid. Schurrer, 1787, 1790; Frid. Plum, 1795; H. A. Grinm, 1799.

xiv, 17. Jam autem eam non predicat, sed illam duntaxat qua facta est a Chaldæis. Ergo post Amasiam, sub Joathan prophetauit; præsertim cum non multo ante tempora Josaphat, Idumæi vastati et subacti sint a Davide, III Reg. cap. xi, 13, ut non egerint Propheta, novoque excidio.

Quinto, quia prophetia Amos eadem pene est cum prophetia Jeremias contra Idumæos, cap. xlix, 24. Ergo sub tempora, non Elia, sed Jeremias prophetasse videtur. *Sexto*, quia a tempore Elia et Josaphat usque ad excidium Judææ et Idumææ per Chaldæos, fluxerunt 300 anni. Quis credat Abdiam, omissis aliis vicinioribus cladibus, prophetasse excidium Idumææ post trecentos annos futurum? Deus ergo videtur Idumæos per Davidem, Amasiam et alios castigare voluisse: verum cum eos hisce flagellis emendari non videret, per Abdiam intentavit eis plenum ultimumque per Chaldæos excidium. Porro causam excidii assignat eandem quam Amos et Jeremias, nimirum odium inveteratum et intermeum Idumæorum contra Judæos, adeo ut ab hostibus profugos occiderint, vel spoliarint, imo Chaldæos in expugnatione Hierosolymæ opibus armisque adjuverint. Quocirca eis idem ab eisdem Chaldæis exitium jure talionis intentat: Judæis vero reditum e Babylone, et felicitatem tum temporalem, tum spirituales tum Christo pollicetur. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Rupertus, Albertus, Vatablus, Hugo et alii. Id ita accidisse patet: nam Nabuchodonosor anno quinto post exitum Jerusalem, qui fuit annus regni ejus 23, invasit et vastavit Idumæam, ut narrat Josephus lib. X *Antiquit.* cap. xi. Rursus Idumæos adjuvissse Chaldæos in excidio Jerusalem, ideoque excisos esse patet III *Esdræ*, iv, 45: «Et tu, ait, vovisti edificare templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Judæa a Chaldæis.» Et *Psal.* cxxxvi, 7: «Memor esto, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.» Addit R. Salomon Abdiam fuisse Idumæum, ideoque ad Idumæos missum, ut sceleris suæ gentis liberius argueret: «Dicunt, inquit, Rabbinæ Abdiam proselytum esse Idumæum. Dixit ergo Dominus: Ex ipsis adducam adversus eos. Veniet Abdias, qui vixit inter duos impios, Achab et Jezabel, neque imitatus est mores eorum, et sumet penas de impio Esau, qui vixit inter duos justos, Isaac et Rebeccam, et non est imitatus opera eorum.» Idem tradit R. David hic, qui proinde Abdiæ applicat illud Hebræorum adagium: «Ipsummet cochleare quod artifex excussit, comburit os ipsius acri sinapi;» quod dicere solent in artifices, qui ex opere suo damnum aut molestiam capiunt. Sic enim Abdias cum esset Idumæus et propheta, tamen Idumæorum, hoc est gentis suæ, prædixit excidium; unde ex suo artificio, puta ex prophetia, videtur damnum passus.

Verum S. Dorotheus, Epiphanius et alii initio citati tradunt Abdiam fuisse Judæum, puta Sichiimitam, sicut et cæteri Prophete fuere Judæi. Scribit S. Hieronymus in *Epitaphio S. Paulæ*, ipsum in Samaria, sive Sebaste visisse sepulcrum Elisei, Abdiæ et Joannis Baptiste, «ubi multis, inquit, intremuit consternata mirabilibus: namque cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, et ante sepulcra sanctorum ululare homines more luporum (notent hoc nostri hagiomachi) vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum; alios rotare caput, et post tergum terram vertice tangere, suspensisque pede feminis vestes defluere in faciem.» Ascriptus est Abdias catalogo Sanctorum die 19 novembris.

Abdias
typus
Christi.

Porro *Abdias* hebraice idem est quod *servus Dei*, ut nomine representet Christum, qui formam servi induit, Deique servus vocatur *Isaiæ* xlii, 1, ait S. Hieronymus, qui et in Proemio asserit se juvenem ante triginta annos scripsisse in Abdiam, cumque mystice exposuisse; quod redarguit, eo quod primo tradit debeat sensus literalis Prophete, eique deinde congrue inedicari sensus mysticus. «Infans, ait, eram, necdum scribere noveram, titubabat manus, tremebant articuli. Nunc ut nihil aliud profecerim, saltem Socraticum illud habeo: Scio quod nescio.» Et mox: «Libere profitebor, et illud fuisse puerilis ingenii, et hoc mature senectutis.»

Rursus omnium Prophetarum brevissimum est Abdias et minimus, «versuum supputatione, non sensuum,» ait S. Hieronymus et ex eo Ribera. Homines, inquit, pusilli ita ingenio et arte præstant, ut locus proverbio datus sit, *ἄνω; ἰμαξί;* id est *amens qui longus*. Aristoteles, in *Physiognom.*: «Parvi valde acuti sunt, inquit, motu

enim sanguinis parvum locum continent, motiones quoque valde velociter accedunt ad sapere. Qui autem sunt valde magni, tardi: motu enim sanguinis magnum locum continent, motus tarde accedunt ad sapere.» Ex quo recte *Eclii.* cap. xi, 2: «Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.» Quid de bombycibus, quid de muscis et apibus dicam? Sane S. Augustinus, lib. *De Duabus animabus contra Manicheos*, cap. iii et iv, non dubitat asserere muscam præstantiorem esse sole: quia animam, vitam, motum, organaque omnia viventium habet, quibus caret sol. Ita res parva plus vitæ et vigoris habent quam magna. Quid remoram recenseam, qui, cum sit parvus pisciculus, ingentes naves valido vento actas sistit et remoratur, si se eis applicet et affigat? Ita Deus excelsus est apis, et initium suam virtutem, sapientiam et magnitudinem ostendit. Abdias, inquit Hugo de S. Victore (qui in Abdiam scripsit more suo acute et argute, sed mystice), «sermone simplex, et sensu multiplex: rarus in verbis, sed copiosus in sententiis, juxta illud *Eclii.* xx: Sapiens verbis innotescit paucis. Prophetiam suam litteraliter adversus Idumæam dirigit, allegorice contra mundum, tropologicè contra carnem styli suum acuit. Salvatoris tyrum gerens, ipse adventum subtiliter introduci per quem mundus destruitur, per quem caro atheritur, per quem libertas redditur.» Quocirca merito Isidorus, lib. *Allegor. S. Script.*: «Abdias, inquit, id est servus Domini, inter omnes Prophetas brevior numero verborum, sed gratia mysteriorum æqualis.» Unde Abdiam ad verbum pene imitatur Jeremias cap. xlix, 23 et sequentibus.

CAPUT UNICUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Idumæorum superbiam arguit, quod in rupe siti putarent se invincibiles: unde ea se illos per Chaldaeos detracturum minatur. Secundo, vers. 10, excidit ejus causam assignat, quod in fratres suos Judeos, ab hostibus afflictos, inhumani fuerint et crudeles. Tertio, vers. 17, Sionidis, id est Judais, e Babylone reditum et imperium pollicetur, nimirum quod per Machabeos Idumæis, Philistæis, vicinisque gentibus, ac multo magis per Christum eisdem totique australi plaq̄e dominabuntur (1).

1. Visio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit: Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium. 2. Ecce parvulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valde. 3. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solum tuum: qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? 4. Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum: inde detrahā te, dicit Dominus. 5. Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisse? nonne furati essent sufficienti sibi? si vindictiores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi? 6. Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus? 7. Usque ad terminum emiserunt te: omnes viri federis tui illuserunt tibi: invaluerunt adversum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent insidias subter te: non est prudentia in eo. 8. Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau? 9. Et timebunt fortes tui a meridie, ut intreat vine de monte Esau. 10. Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, et peribis in æternum. 11. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus, et super Jerusalem mittebant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis. 12. Et non despicias in die fratris tui, in die peregrinationis ejus: et non lataberis super filios Juda in die perditionis eorum: et non magnificabis os tuum in die angustiae. 13. Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum: neque despicias et tu in malis ejus in die vastitatis illius: et non emitteris adversus exercitum ejus in die vastitatis illius. 14. Neque stabis in exitibus tuis interficiās eos qui fugerint: et non concludes reliquos ejus in die tribulationis. 15. Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti fiet tibi: retributionem tuam convertet in caput tuum. 16. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes ju-

(1) Post inscriptionem quæ continet Dei locutionem et gentium excitationem, vel a Deo repetitam, vel ab aliis etiam prophetis usurpata, 1; sequitur argumentum sermonis duplex, alterum judiciale contra Idumæos, alterum parabolice mala futura, primo, relictionem ad sortem aliis gentibus inferiorum, 2; secundo, castigationem superbie vane confidentis in regione inaccessa, 3, 4; tertio, dirptionem omnium et consummationem expolationem, reddita ratione cur depredati Idumæorum furibus tribui non possit, 5, 6; quarto, conversionem federatorum in hostes, 7; quinto, inopiam consilii et timorem panicum, 8, 9.

Secundo, indicat causam horum malorum, hæc primo, universam statuitur in injuria populo Dei illata, 10; secundo, singularem exponitur data primo, per societatem

cum hostibus Judeos vexantibus istam, 11; secundo, per contemptum, invidiosam letitiam, et subsannationem Judæorum devictorum, 12; tertio, per conjunctam operam in expugnandis urbibus et vastandis agris Judæorum, 13; quarto, per interceptam Judæorum fugam, 14. Tertio, comprobatur justitiam in hoc judicio, primo, quia par pari redditur, 15; secundo, quia pro hisdem delictis similes penas reliquæ gentes referunt, 16.

In secunda parte quasi parabolice ad Hebræos, iis promittuntur,

Primo, restitutio Hierosolymæ, templi, et possessionum pristinarum, 17. Secundo, victoria de Idumæis, 18. Tertio, recuperatio totius Palestine, 19. Quarto, dilatatio limitum regni, 20. Quinto, securitas conservanda a duobus et a Deo, 21.

giter: et bibent, et absorbent, et erunt quasi non sint. 17. Et in monte Sion erit salvatio, et erit sanctus: et possidebit domus Jacob eos qui se possederant. 18. Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula: et succendentur in eis, et devorabunt eos: et non erunt reliquæ domus Esau, quia Dominus locutus est. 19. Et hereditabunt hi qui ad austrum sunt, montem Esau, et qui in campestribus Philistiim: et possidebunt regionem Ephraim, et regionem Samariæ: et Benjamin possidebit Galaad. 20. Et transmigrationo exercitus hujus filiorum Israel, omnia loca Chanaanorum usque ad Sareptam: et transmigrationo Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates Austri. 21. Et ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau: et erit Domino regnum.

Vers. 1. 1. VISIO ABDIÆ. — Visio vocatur propheta, videns Propheta. Eandem mox vocat auditum. Causas dedi Isaia 1, 1.

HÆC Dicit Dominus Deus ad Edom. — Hebraice, *Leedom*, id est de Edom, vel ad Edom. Esau, frater Jacobi gemellus, dictus est Edom, quia rufus; et Seir, quia pilosus: hinc posterius ejus, puta populus Idumæus ab eo prognatus vocatur pariter Edom, et Seir. Porro Hebræi tam antiqui, teste S. Hieronymo, quam moderni, ut R. David, R. Salomon et similes, constanter asseverant Idumæos esse Romanos. Primo, quia Edom, et per aphærasim *Duma*, est Roma, si litteram γ in vicinam η commutes; secundo, quia tradunt ipsi, hoc est fingunt, Julium Cæsarem primum Romanum imperatorem fuisse Idumæum. Addunt alii *Aeneam* fuisse Idumæum, atque ex Idumæa venisse in Egyptum, inde in Libyam, inde Carthaginem, inde in Italiam, ibique Albam, ex qua prognata est Roma, condidisse. Ita refert Arias. Origo hujus opinionis, id est fabule, fuisse videtur excidium, quod Judæi passi sunt a Tito et Romanis; inde enim Romanos, quasi hostes infensissimos vocaverunt novos Idumæos. Consequenter, cum fideles et christiani vocentur Romani, a suo capite Romano Pontifice, et Romana Ecclesia, quæ matrix est omnium Ecclesiarum; hinc Judæi per Idumæos accipiunt christianos, quos ex odio Christi infensissimos pariter hostes suos astimant.

Quare quæcumque contra Idumæos ab Abdiâ illicque Prophetis dicuntur, censent dici contra christianos, ac proinde expectant suum Messiam, qui hoc imperium Romanorum, id est Christi et christianorum, evertat, ac judaismum restituat, Judeosque opibus et honoribus quasi alter Salomon ditet et exaltet. Ita refert Burgensis hic, et Galatinus lib. IV, cap. xviii. Atque hæc est causa immanis odii in christianis, eorum eis quasi invidum videtur. Verum hoc error somnium (uti vocat S. Hieronymus) confutant omnes historie Græcorum, Latinorum, et omnium gentium, quæ Romanam a Romulo Italo et Albano conditam, Julium Cæsarem ex familia Julia Romana prognatum, Aeneam Trojanum fuisse, non Idumæum, asserunt. Porro quantum Alba et Roma distent ab Idumæa sciunt omnes. Ridiculum vero est quod *Duma* transformet in *Roma*. Litteræ enim

resæ et *daleth*, licet charactero sint similes, sono tamen et sensu sunt dissimillime. Perinde ergo faciunt, atque si *Cyrum* transformes in *Irum*, *meiticum* in *mediticum*, *matras* in *mases*, ac (quod in metaphoris earundem litterarum ν et d plane simile est), si *Medum* in *merum*, *modum* in *morum*, *sedes* in *seres* transformes. Longe facilius et pronius Idumæos transformes in Judeos, presertim cum hi illorum sint fratres; utriusque enim prognati ex Jacob et Esau fratribus, atque sede et regione sint vicinissimi. Quocirca Judeos mystice vere esse Idumæos jam ostendunt.

Ad litteram ergo hic, non Romanos, non Italos, sed Idumæos, id est posteros Esau, degentes in montibus Idumææ juxta Judæam, Ammonitidem et Moabitidem, accipe.

Mystice, Idumæi sunt infideles hostes populi fidelis, puta Judæi, pagani, hæretici. Sicut enim Jacob fidelium, sic Esau et Idumæi infidelium sunt typus, uti docet Apostolus, Rom. ix, 7 et 13. Ita Eusebius lib. V *Demonstr.* cap. xxiv, Theodoretus, Rupertus, S. Hieronymus, qui et ex etymo nominis analogiam affert: « Idumæa, inquit, terrena interpretatur, et propter colorem rubrum, cruenta quoque intelligi potest. Ideo Salvator reportans ad Patrem de mundo victoriam, quando angeli conclamabant: Aperiite portas principes vestras, et introibit Rex gloria; et in Isala stupentes interrogabant: Quis est iste qui ascendit de Edom fulgida veste de Bosor? hic formosus in stola candida, etc., ipse loquitur in triumpho, exponens palmas crucis suæ: Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. »

Tropologie idem S. Hieronymus: « Sunt, ait, qui Idumæam ad carnem referunt, et adversus Idumæos illius pugnam animam æstimant provocari, ut mortificantes membra nostra super terram, fornicationem, immunditiam, passionem, æternam in Christo victoriam consequamur. » Nam fratres Jacob et Esau, assidue inter se luctantes, sunt anima et caro. « Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, » Galat. v, 17.

Rursus, Hugo de S. Victore: « Edom, ait, est terrenus, Esau sanguineus, Seir pilosus: sanguineus peccatis, pilosus negotiis, terrenus curis sanguineus mundus utique in idololatris, pilosus

Judæi
censent
Idumæos
esse Ro-
manos,
cur?

Mystice
Idumæi
sunt Ju-
dæi.

Tropolo-
gie. Idu-
mæa est
caro.

in hereticis, terrenus in carnalibus et pseudo-christianis. » Et inferior ad vers. 47: « Jacob ter luctatus est cum Esau fratre suo, semel cum angelo. *Primo* in utero, *secundo* de lentis edulio, *tertio* de benedictionis paterna oraculo. Noster Jacob, id est luctator Christus, ter jam luctatus dicitur contra diabolum, quarto luctaturus pro certo creditur. *Primo* in utero, *secundo* in patibulo, *tertio* in sepulcro, *quarto* in extremo iudicio contra agmen hædorum et semen pessimum. In utero immunitate peccati, in patibulo acquisitione glorie et honore regni, in sepulcro immortalitate vite et gloria triumphi, in iudicio iure victorie et rigore iustitiae. » Et mox: « *Primo* luctatus est pro te, ut tu diaboli fastum et eius regna vinces; *secundo*, ut mundi luxum et gloriam superares; *tertio*, ut carnis concupiscentiam et pehulantiam sensum expelleres: *ultimum* vero faciet luctum, ut, præfatis omnibus spreto, victor possideas glorie coronam. »

AUDITUM. — Nota *primo* hæc esse verba non Dei, sed Prophete, ut patet *Jerem. xlix, 14*, ubi eadem verba ex Amos usurpat sibi que applicat. Unde sequitur hic esse hyperbatum, id est inversum ordinem. Nec enim hæc verba coherent cum proxime præcedentibus. Sic ergo totus hic versus ordinandus est: « Visio Abdiæ ad Edom. Auditum audivimus, et legatum ad gentes misit. Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce parvulum dedi te in gentibus, » etc. (1). Verba enim Dei sunt hæc: « Ecce parvulum dedi te. » Verba autem Prophete sunt: « Auditum audivimus, » etc. Aut certe hæc verba: « Auditum audivimus, » etc., parenthesi intercepta sunt, *q. d.* « Hæc dicit Dominus, » idque soimus, quia « auditum audivimus » ab eo. Ita Vatablus, idque expeditius et planius videtur. *Secundo*, *auditus* metonymice ponitur pro re audita. Unde Chaldaeus vertit, *nuntium*; Tigurina, *rumorem*; Vatablus, *fama*. *Tertio*, non dicit, *audivi*, sed *audivimus*, *q. d.* Non ego solus, sed multi Prophete mecum hæc Dei contra Idumæos decreta audiverunt, vel mox audient, puta Isaias, cap. *xxi, 41*; Amos, cap. *i, 41*; Joel, cap. *iii, 19*; Jeremias, cap. *xliv, 7*; Ezechiel, cap. *xv, 31*. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus, Clarus et Arias. Septuaginta tamen vertunt in singulari: *Auditum audivi a Domino*, et sic habet Jeremias cap. *xliv, 14*. Unde Hugo putat, *audivimus* plurale, poni pro singulari *audivi*. Sensus est, *q. d.* Audivimus a Deo hoc nuntium, vel Deus nobis annuntiavit

(1) Expositis variis variorum sententiis (Rossmüller, Schnurreri, Eleborati, Jegeri, Hensdewerck) de huius versus ordinatione, sollicit quæ ratione verba: « Hæc dicit Dominus Deus ad Edom, » cum sequentibus cohererent, sic concludit Maurer: « His verbis nihil aliud sibi vult quam: Hæc me dicere jussit Jova, hæc divinitus montis dicenda de Idumæis, quæ nemo non intelligit æque apta esse ad ea quæ proxime sequuntur quam ad remota illa: Ecce, etc., vers. 2.

se misisse legatum ad gentes, qui eis diceret: Surgite, armate vos ad bellum, ut conjunctis viribus et armis, Idumæos invadamus et vastemus; tamen *surgite*, non est vox gentes sed invicem excitantium ad bellum, ut voluit Arias et Vatablus; sed est vox legati, sive Dei, qui per legatum gentes excitat, ut secum consurgant in prælium contra Idumæos. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et Lyranus, idque patet ex ipsa serie narrationis et verborum contextu.

LEGATUM AD GENTES MISIT. — Quæres, quis hic legatus? Albertus et Arias censent fuisse legatos quos Nabuchodonosor misit ad gentes vicinas sibi que subditas, ut, conjunctis armis, invaderent Idumæam; *secundo*, Hugo, Dionysius et a Castro censent fuisse angelum, sive bonum, sive malum, a Deo missum ad Chaldaeos, ut eos concitaret ad excidium Idumæorum, juxta illud *Psal. lxxvii, 49*: « Immissiones per angelos malos; » *tertio*, simpliciter et planius dicemus esse catachresin, quæ ipsa motio et concitatio Dei vocetur *legatus*, *q. d.* Deus concitavit Chaldaeos ad bellum Idumæis inferendum, perinde ac si legatum ad eos misisset. Ita Lyranus, Ribera et alii. Id ita esse colligitur ex simili loco *Isaiæ v, 26*: « Et elevabit, ait, signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terre; et ecce fletus velociter veniet. » Et cap. *vii, 18*: « Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api, quæ est in terra Assur. » Ubi hæc evocatio Dei, et concitatio Ægyptiorum et Assyriorum ad bellum, vocatur *sibilus*, quæ evocatur et concitatur muscæ et apes. Vide ibi dicta. Verum quia hic sibilus, hæc motio et concitatio Dei fieri solet per angelos, hinc non male per legatum accipies angelos, juxta secundam expositionem. Pari modo Nisus, pugnandi avidus, dixit ad Euryalum:

Diine hunc ardorem mentibus indunt
Euryale, an sua cuique Deus sit dira cupido?

Porro quæ ratione Deus concitat reges, etiam tyrannos ad bellum, ut vindictam sum per eos, licet injustos, in gentes impias exerceat, dixi *Canon. xxxvi* et *xxxvii*, quos præfixi Isaiæ (2).

Allegorice, hic legatus est Christus, magni consilii angelus, qui prælio vici Edom, id est mundum, carnem, diabolum; et ad se, æque ac ad hocce suum bellum, vocavit gentes. Unde de

(2) Potest totum comma sic quoque capi, *nuntium audivimus*, accepimus a Jova, et jam *legatus inter populos est missus; surgite*, agite igitur, et *surgamus* junctis viribus *contra*, etc.; sic quidem, qui fuerit ille nuntius sit missus, non exprimitur; sed utrumque facile intelligitur ex his quæ subjunguntur *surgite*, etc. Perlicet enim ex his, nuntium intelligendum esse de inferendo Idumæis bello, legatum vero missum esse ad excitandos ad hoc bellum populos. Quæ ratio probatur Hensdewerko. Nec potest negari, simpliciorum eam et rotundiorum quam alteram sensum fundere. (Maurer.)

vocatione gentium hunc locum accipit Eusebius, lib. *v Demonstr.* cap. *xxiv*; ita quoque S. Hieronymus Remigius, Rupertus, Hugo Cardinalis et Hugo Victorinus: « Legatus iste, ait Hugo Victorinus, tria secum attulit: lucem, unguentum, panem. Lucem cæcis, unguentum ægrotis, panem famelicis. Lucem exposuit in monte, panem in comaculo, unguentum in crucis patibulo. Christus namque mundum illuminavit, pulsa ignorantia; ipse eum satiavit, ordinata concupiscentia: idem ipsum in melius commutavit, exterminata miseria. Unde ipse in Evangelio: Ego sum, ait, via, veritas et vita; via illuminando, veritas sanando, vita felicitando: primum contra ignorantiam, secundum contra concupiscentiam, tertium contra miseriam. » Et inferior docet legatum hunc loqui cæteris personis SS. Trinitatis, ac dicere: « Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium, » *q. d.* Surgat Pater hostem Filio potenter prosternendo, ego surgam sapienter nescium docendo. Pater vincula solvat humane captivitatis: Filius tenebras illustret humane cæcitatibus: Spiritus munera suggerat et desideria charitatis. »

2. ECCE PARVULUM DEDI TE. — Hæc verba pertinent ad: « Hæc dicit Dominus Deus ad Edom. » Hic enim incipit prophetia et vox Dei contra Edom, ut paulo ante ostendi. Vatablus, Lyranus et Hugo præteritum *dedit* exponunt propheticæ pro futurum *dabo*, *q. d.* Ob superbiam puniam te, o Edom, teque de fastigio glorie et magnitudinis tue dejiciam, factamque parvulum. Verum melius S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo, Arias, Pagninus et alii proprie accipiunt *dedit*. Exaggerat enim fastum Idumæe, quod, cum parvulus formatus sit a Deo, caput usque ad sidera erigere velit, quasi dicat: Feci te parvulum, tum numero, id est paucum; tum opibus, id est pauperem; tum robore, id est invalidum et infirmum, ut vertit Chaldaeus. Idumæi enim erant sicuti nostri Alpini, habitantes in monte et petra Soli: quare exigui erant, inopes et imbecilles. Unde sequitur (1):

(1) S. Hieronymi interpretationem cui astipulatur Rossmüller, falsissimam iudicat Maurer post Hensdewerck, qui statim sic exponit: « Si, inquit, Idumæi jam parvi ab Jehova redditi et valde contempti fuissent, cur, cum tanta emphasi gentes peregrinas haud dubie plures, in forte omnes, ad bellum huic populo tam parvo et contempto inferendum excitarentur (vers. 1)? Cur non genti uni, cur non Hebraeis solis permitteritur, hunc populum tam comminatum interaerone prorsus delere? Cum igitur tam multe gentes eaque tanta cum gravitate ad hoc bellum gerendum excitarentur, inde jure concludi potest, Idumæos ex iudicio Prophete minime parvos et contemptos, sed potius potentissimos et maxime stultos fuisse. » Quod item perlicet ex tota oratione, audit Maurer. Nec mirum. Fuerunt enim revera tunc temporis potentes et opulenti Idumæi, ut quorundam fines usque ad Dodanem Arabiæ *Jerem. xlix, 8; Ezech. xxx, 18*, atque septentrionem versus ad Bosram usque porrigerentur (*Jerem. xlix, 18; cf. Thren. iv, 31.*)

CONTEMPTIBILIS TU ES VALDE. — Septuaginta: *Inhonoratus tu valde*; Tigurina: *Vehementer despectus*, id est despicibilis, es tu; Arabicus: *Ecce parvulus apparet in gentibus, et tu vitis es valde.*

3. SUPERBIA CORDIS TUI EXTULIT TE. — Chaldaeus, Tigurina et alii vertunt: *Superbia cordis tui decipit te*; et sic vertit Noster *Jerem. xlix, 16*, quia hebraicum *נשא* *nasa*, si punctum ponas in dextro cornu *ו* significat decipere; si in sinistro, significat efferre, extollere. Utrumque verum: nam superbia extulit, et pariter decipit eum: sperantem enim sublimia duxit ad præcipitia. Porro superbia causa erat quam subdit: « Habitantom in scissuris petrarum, exaltantem solum tuum, » *q. d.* Superbis, o Edom, de tuo robore, quia habitas in rupe prærupta et inaccessa, quasi ob eam sis tutus ab hostium incursum et inexpugnabilis: sed erras; Chaldaei enim, Deo duce, in rupem hanc descendunt, teque inde dejiciunt. Pro in scissuris hebraice est *נריב* *nehayim*, quod Septuaginta vertunt, in *foraminibus*; Pagninus, in *munitionibus*; Tigurina, in *covernis*; R. David, in *gyro et circulo*, puta in vertice rupis, ejusque rotunda circumferentia; *chayve* enim potest deduci a *חג* *chug*, id est circulus. Rursus pro *exaltantem*, hebraice est *מרים* *merim*, id est *celstivine habitations tuae*, ut vertit Pagninus; Septuaginta tamen vertunt ut Noster, *exaltantem*. Unde videntur legisse *מרמ* *marim*, quod est *benot k'phil*. Sensus est, *q. d.* Habitus, o Edom, in locis abruptis, editis et inaccessis, ibique exaltas solum, id est sedem, vel, ut Chaldaeus et Septuaginta, *habitaculum tuum*; ideoque superbis, putans te esse invictum et insuperabilem. Ita S. Hieronymus. Simili modo superbiebat Arimazes, qui in Sogdiana regione rupem inaccessam cum triginta armatorum millibus insidens, rogatus ab Alexandro Magno ut sese dederet, cum irrisset, rogavitque: « an Alexander volare posset? » Cui Alexander: « Faciam, inquit, proxima nocte ut credas Macedones volare posse. » Igitur trecentos juvenes fortissimos ingentibus promissis excitatos, noctu per prærupta saxa et invia a tergo rupis verticem clam incredibili nisu ausque descendere jussit, ac per eos, intarsi hostibus, rupem occupavit, et Arimazem cruci affixit. Ita Q. Curtius, lib. *vii De Gestis Alexandri*.

4. SI EXALTATUS FUERIS UT AQUILA. — Syrus: *Si te exaltaveris ut aquila*; Arabicus: *Si exaltatus fueris ad aquilam*, quæ in altissimis et inaccessis rupibus montibusque nidificat, juxta illud *Job cap. xxxix, 27*: « Elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum: in petris manet, et in præruptis silicibus commoratur. » Plinius, lib. *x*, cap. *iii*, hanc aquile speciem vocat *melanæton*: « Magnitudine minimam, colore nigricantem, viribus præcipuam. Sola, ait, sine clangore, sine murmuratione conversatur in montibus. » Sunt enim aliæ aquilarum species, quæ amant sylvas et littora locaque plana, ibique nidulantur, teste

Aristotele lib. IX De Animal. cap. xxxii. Hinc Pindarus aquilam vocat reginam volucrum, delphinum piscium. Et Athenienses, ait Aristophanes, accipere oraculum, se fore aquilas urbium.

Agulae sunt superbia

Mystice, aquile, inquit Hugo Victorinus, sunt philosophi et sophiste, dum cordis oculos ad solem justitie erigunt, dum actem mentis in ipsum veritatis radium irreverberate figunt. Sed aquila inde statim retrahitur: quia post acceptam veritatis insitam notitiam, elationis merito philosophus et sophista ad errorum caliginem revertuntur. Hinc Apostolus, Rom. 1, 21: «Quia cum cognovissent, inquit, Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis.» Ita et hodie aquilas, id est viros doctos et sapientes ob superbiam e caelo, id est ex Ecclesia, vel certe e statu perfectionis, detrahi videmus, et ruere in abyssum. Utam docti illud doctoris gentium intus medullis infiant: «Scientia inflat, charitas aedificat.» Et illud: «Noli altum sapere, sed time.» Parvus enim, imo nullus, coram Deo est vir doctus, sed superbus. Magnus, imo maximus, coram Deo est, qui tam humilis est quam doctus, in quo humilitas cum doctrina certat, quales fuerit S. Augustinus, S. Thomas, S. Bonaventura et alii.

ET SI INTER SIDERA POSUERIS NIDEM TUUM: INDE DETRAHAM TE, Dicit Dominus. — Est hyperbole, q. d. Etiamsi, o Edom, in altissimis montibus, ubi sunt Olympus, Atlas, etc., imo in ipso caelo sedem figas, aut figure tibi videre, inde detraham te.

Nota: Apposite urbes rupibus impositas vocat nidos. Sic Paulus Emilius dixit «arces» esse «nidos tyrannorum:» unde ipse illas e Graecia sustulit. Sic Cicero, lib. I De Orat., Ithacam in scopulis quasi nidum affixam dixit.

Superbi astris se aequant

Symbolice, Rupertus haec adaptat iis qui stemmatibus majorum quasi petris, unde excisi sunt, gloriantur. Hi enim et similes videntur sibi ceteros homines longe superare, et inter sidera habitare. Talis fuit demens jactantia Thrasonis illius, Lysimachi inquam, qui cum loca ad Thraciam vergentia obtinisset, ingenti fastu dixit: «Nunc demum Byzantii ad me veniunt, postquam Iancea caelum attingi.» Ibi hominem false irridentes Pasides Byzantius: «Recedamus, ait, ne ille lanceae mucrone caelum perforet,» ut refert Plutarchus in Fortun. Alexand. lib. II. Sic fastu turgidus Atrius in Thyeste apud Senecam intonat:

Aequalis astris gradior, et cunctos super, Altum superbo vertice attingens polium. Dinulto superos, summa votorum attingi. O me oculum excelsissimum, Regumque regem, vota transcendit mea.

Eadem phrasi utitur Ovidius:

Quo conjuge felix, Et diis clara ferat, et sidera vertice tangam.

Et Horatius, lib. I Carm.:

Quod si me lyricis vultibus inseris, Sublimi feriam sidera vertice.

Moraliter, nota quantus sit superbia et superhorum fastus, nimirum ut putent se in caelum in solium Dei posse conscendere, illudque invadere. Ideo Deo, quasi rivales et emuli gloriae ejus, maxime sunt exosi et invisibiles. Hinc de iis ait Job cap. xx, 6: «Si ascenderit usque ad caelum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit: quasi sterquilinum in fine perdetur.» Ita supremus angelus, ejusque antitypus Nabuchodonosor, vel Balsazar rex Babylonis, superbiens dixit: «In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum;» sed illico audivit: «Detrahea est ad inferos superbia tua: subter te sternetur linea, et operimentum tuum erunt vermes,» Isaia xiv, 11 et 13. Vide ibi dicta.

Annon Origenes, Tertullianus, Pelagius, etc., fuerunt quasi stelle Ecclesiae, et astra caeli, et tamen ob superbiam ceciderunt in abyssum? quos non expavescat, quis non in imum se abijcit et humiliat? Hoc est quod in fine mundi circa insignes viros diabolum per Antichristum facturum praedicit S. Joannes Apocal. xii, 4, dum ait: «Cauda ejus (draconis) trahebat tertiam partem stellarum,» id est illustrium Sanctorum. Et Apoc. viii, 10: «Cecidit de caelo stella magna, ardens tanquam facula.» Quod Ticonius apud S. Augustinum, tom. IX, mystice exponens sic ait: «De Ecclesia dicit cecidisse homines superbos et impios; magnam vero stellam dixit, quia personae malorum, et potestatem vel divitias habentium.» Nam, ut ait S. Augustinus in Psalm. cxlvi (expli- catione ultimum versum: Qui numerat multitudinem stellarum), «sunt stellae quaedam lumina in Ecclesia consolantia noctem nostram, de quibus Apostolus dicit, Philip. ii: In quibus apparatus tanquam luminaria in mundo: illas stellas numerat Deus, omnes secum regnatos, etc., numeratos habet.» Idem, in Soliloquis, tom. IX, cap. xxviii, electos et impios ob sua scelera reprobandos comparat stellis, illos fixis, hos cadentibus, de iisque ait: «Attamen mors peccatorum pessima, illorum, inquam, quos, antequam feceres caelum et terram, secundum abyssum multam judiciorum tuorum oculorum, semper autem justorum, praescivisti ad mortem aeternam: quorum dinumeratio nominum et meritum pravorum apud te est, qui numerum arenae maris dinumerasti, et dimensus es profundum abyssi: quos reliquisti in immundis suis, quibus omnia cooperantur in malum, et ipsa etiam oratio vertitur in peccatum, ut si etiam usque ad caelos ascenderint, et caput eorum nubes tetigerit, et inter sidera caeli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinum in fine perdetur.» Unde exclamat: «Magna sunt haec judicia tua, Domine Deus, etc., quod cum considero, contre-

Moraliter, de fastu.

miscunt omnia ossa mea: quoniam non securatur homo vivens super terram; ut serviamus tibi pie et caste cunctis diebus vite nostrae in timore, et exultemus tibi cum tremore.» Causam subdit: «Vidimus enim multos ascendisse primitus quodam modo usque ad caelos, et inter sidera nidum suum colloasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, et animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de caelo cecidisse ab impetu ferientis caudae draconis, et eos qui jacebant in pulvere terre, a facie sublevantis manus tuae, Domine, mirabiliter ascendisse. Vidimus viros morientes, et mortuos a morte surgentes, et eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse.» Radicem tanti mali subdit: «Quare autem ista omnia, nisi quia in montem illum ascendunt, in quem primus ascendit angelus, et descendit diabolus!» Mos enim est Dei, ut quo quis altius se erigit, eo profundius cum deprimat, quia superbiam exseratur, juxta illud Isaia xxiii, 9: «Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae et ad ignominiam deduceret universos inelytos terrae.» Et: «Deposuit potentes de sede,» Luc. i, 52. Viderunt ipsi sum Gentiles: unde Esopus rogatus quid faceret Deus: «Superbos, inquit, humiliat, et humiles exaltat,» quasi hoc unum proprium sit Dei opus. Et Seneca in Hercule furente:

Dominate tumidus, spiritus altos gere, Sequitur superbus ulior a tergo Deus.

Idem in Thyeste:

Ves quibus rector maris atque terrae, Jas dedit magnum necis atque vitae, Ponite inflatos tumidosque vultus, Quidquid a vobis minor extimescit, Major hoc vobis Dominus minatur. Omne sub regno graviore regnum est. Quem dies vidit veniens superbum, Hunc dies vidit figens jacentem. Nemo consistat nimium secundus.

Quocirca sapienter Artabanus monet Xerxem regem apud Herodotum, lib. VII: «Vides, ait, ut animalia praegranda fulmine ferit, neque cogitationibus insolerecunt sinit Deus; qua vero parvula sunt, ne tantillum quidem vellicat? Vides ut in maxima adificia et arbores ejusmodi semper tela conforqueat? Amat enim Deus incidere omnia quae eminent. Neminem enim sinit magni proppiam de se sentire, praeter seipsum.» Denique S. Hieronymus ad Eustochium, De Custodia virginis: «Cecidit, inquit, Lucifer, qui mane oriebatur, et ille qui in paradiso deliciarum nutritus est meruit audire: Si exaltatus fueris ut aquila, inde detraham te, dicit Dominus. Dixerat enim in corde suo: Super sidera caeli ponam sedem meam, et similis ero Altissimo. Unde quotidie ad eos, qui per scalam Jacob somniantes descen-

dunt, loquitur Deus: Ego dixi: Dii estis, et filii Altissimi omnes. Vos autem sicut homines mortemini, et tanquam unus de principibus cadetis.» Mystice R. Haccados apud Galatinum, lib. VII, cap. xv: «Via, ait, aquila in coelis est rex Messias, qui post passionem suam ascendit in caelum, sicut dictum est Amos cap. ix: Qui aedificat in caelo ascensionem suam.»

5. SI FURES INTROISSENT AD TE: SI LATRONES PER Vers. 5. NOCTEM, QUOMODO CONTICUISSES? — Pro conticuisse hebraice est נדמנתו nidmeta, a radice נדמנא dama, quod tria significat, scilicet assimilari, succidi, et conticescere. Unde, primo, Arias vertit: Quomodo assimilatus esses, hoc est, cui similis relictus esses? utique viro dispoliato et depauperato. Secundo, Pagninus et Tigurina vertunt: Quomodo excisus? Septuaginta, ubi projectus esses? q. d. Quomodo tuis rebus et opibus privatus esses? Alter a Castro; contrarie enim exponit hoc modo: Anne omnino excisus esses? minime: nam fures hi tantum sufficientia sibi furati essent, caetera tibi reliquissent. Tertio, Noster vertit: Quomodo conticuisse? et Chaldaeus: Quomodo soporatus esses? id est instar soporati, vel soporem fingentis praeter metum conticuisse? Sensus est, si fures, vel latrones nocturni magna manu invassissent tuas res, omnino conticuisse. Ita enim solent timidi, vel viribus impares tacere praeter metu, ne, si clamant, a furi- bus et latronibus occidantur, q. d. Quanto magis conticesces et obmutescas ex pavore, cum te Chaldaei numerosissimi, validissimi et infensissimi invadent et spoliabunt, nec tantum opes, sed et vitam auferent. Ita S. Hieronymus.

Physice hic nota: Metus, quia spiritus et sanguinem revocat ad cor in pavore confirmandum, hinc et pallorem extimis partibus, lingueque silentium inducit. Ita Aristoteles in Physiognomic., docet vocem fortem signum esse fortis, remissam autem et imbecillum timidum. Idem, lib. IV Ethic. cap. iii: «Magnanimitas, ait, motus tardus esse debet, et vox gravis, et locutio tarda: contraria sunt in pusillanimitate et timido.» Metus enim acuit, stringit ligatque os, linguam, mentem, memoriam, animam totumque hominem. «Metus, inquit Solinus Polyhist. cap. vii, memoriam perimit.» Id videmus in scrupulosis, qui umbras peccatorum timeant, atque ex hoc timore, fluctuante imaginatione et memoria, saepe non meminerunt eorum quae egerunt, vel confessi sunt, imo obliviscuntur se esse confessos, esse recordantur circumstantiarum, quae eos in opere perpetrato vel in totum, vel ex parte majori a peccato excusabant: quia peccatum et peccati metum duntaxat praeculis habent, qui metus apprehensionem ita validam vivamque efficit, ut videantur se peccatum videre tibi non est, seque illud perpetrare quod nunquam cogitarant. Ut ergo scrupulos superent, opus securum ponant ad radicem, ac metum per contrariam audaciam ex consilio viri prudentis succidant.

Secundo, in furibus notat clanculariam et timidam rapinam, q. d. Fures clanculum inscios et imparatos invadunt et diripiunt: at Chaldaei non ita palam et aperto Marte te invadent, o Edom: praesens eorum adventum, parabis te, adventantes et insulantes videbis et senties, nec poteris iis resistere, imo nec fuga elabi vel evadere. Ita Vatablus.

NONNE FURATI ESSENT SUFFICIENTIA SIBI? — Est nova antithesis, q. d. Fures non omnia rapiunt, sed ea duntaxat quae sibi sufficiunt, caetera suis heris et locis relinquunt: at Chaldaei omnia tua abripiunt. Id declarat alia similitudine, vel potius antithesi vindemiatorem, dicens:

SI VINDEMIATORES INTROISSENT AD TE, NUMQUID SALTEN RACEMUS RELIQUISSENT TIBI? — Ulique sub foliis latentibus hinc inde racemos plures de more reliquissent: at Chaldaei scrutabuntur et diripient omnes et omnia, nihil relinquent. Est hyperbole: Nihil, id est paucissima, vix quidquam. Erunt ergo exactissimi racematores, aeque ac vindemiatores tui, o Edom. Unde sequitur:

6. QUOMODO SCRUTATI SUNT ESAU, INVESTIGAVERUNT ABSCONDITA EJUS? — q. d. Quam operose et exacte Chaldaei scrutabuntur omnia arcana et thesauros Idumaeorum, aeque diripient! Pagninus et Tigurina vertunt: Quomodo pervestigata sunt ea quae sunt Esau, et thesauri ejus perquisiti? q. d. Hoc factum est non tam humana solertia et voluntate, quam divina, ut scilicet omnia quae erant Idumaeorum, etiam thesauri quos absconderat, exactissimo scrutinio a Chaldaeis perquisita et inventa sint. Ostendit Chaldaeos non fortuito, non sua sponte et motu proprio, sed Dei voluntate venturos et de Idumaeis vindictam sumpturos, ideoque exactam et acrem fore hanc vindictam, utpote divinam potius quam humanam.

7. USQUE AD TERMINUM EMISERUNT TE: OMNES VIRI FORDERIS TUI, — q. d. Non tantum Chaldaei hostes tui te vastabunt, sed et gentes vicinae tibi amice et confederate, v. g. Ammonite, Moabite, etc., se jungent cum Chaldaeis hostibus tuis, tibi que illudent, ac te e terra tua efficiunt usque ad fines ejusdem, imo usque in terram Chaldaeorum. Ita Chaldaeus, S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Vatablus, Clarus et alii passim, q. d. O Idumaei, prodemini ab amicis vestris.

Aliter a Castro: censet enim haec ad tempora Josaphat regis Juda, sub quo vixisse putat Abdiam, pertinere, quando nimirum Ammonite et Moabite confederati Idumaeis invaserunt Josaphat et Judam, sed Deo pro Josaphat et Juda pugnante, ac vertente insidias eorum in ipsomet Ammonite et Moabite insurgentes in Idumaeos eos concenterunt, ac deinde vix in seipsum mutuo occidere vulneribus, uti narratur II Paral. xx, q. d. Si, o Idumaei, vestra prudentia non potuissetis avertere insidias Ammon et Moab amicum vestrorum, quomodo avertetis extremam hostium stragem? Verum in Proemio docuit Abdiam

diu post Josaphat vixisse et prophetsse: non ergo agit de clade illius temporis; eo tamen aluditi, illamque Idumaeis retricat, q. d. Memento, o Idumaei, quid vobis fecerit Ammon et Moab amici vestri, cum quibus pacem et fœdus sanciebatis tempore Josaphat: idem enim vobis facient tempore Chaldaeorum, cum isque vos vastabunt et illudent.

ILLUSURUNT TIBI. — Septuaginta: Restiterunt tibi; Pagninus, Tigurina et Vatablus: Seducunt te, et praevalent contra te viri pacis tuae, id est qui tecum pacem inierant.

QUI COMEDUNT TECUM, PONENT INSIDIAS SUBTER TE. Sic et Septuaginta; sed Pagninus vertit: Pacem tuam comedentes ponent languorem subter te; Tigurina: Panis tuus sub te vulnus ponet, hoc est, ut Vatablus: Viri panis tui inficerunt vulnus clam te, id est tibi imprudenti, nihil tale cogitanti, eo quod existimares illos esse fideles, q. d. Qui tecum pacem edebant domestice et familiaris, esse stipendiarii tui, fraudulenter et proditorie inflixerunt tibi vulnus.

NON EST PRUDENTIA IN EO, — scilicet populo Idumaeae. Est enallage personae hebraica: transit enim a secunda ad tertiam. Dicit enim in eo, pro in te, q. d. Nescis, o Edom, cavere tua pericula, nescis tibi consulere: quocirca venies in potestatem hostium prodicione amicum, tuaque improvidentia, aeque ac pravis consiliis. Ita Vatablus. Sic Deus infatuavit consilium Achitophel, II Reg. xvii, 14. Est enim consilium et prudentia, ejusque intellectus et acceptatio, ingens donum Dei.

8. NUMQUID NON IN DIE ILLA, DICIT DOMINUS, PERDAM SAPIENTES DE IDUMEA? — q. d. Adimam illis consilium et mentem, privabo eos ratione et prudentia, ut nec imminentes hostes praesentiant aut praevaeant, nec praesentes avertere aut effugere possint, sed in eorum manus incidant. Apud Idumaeos enim olim viguit sapientia, ut patet ex Eliphaz Themanite, et aliis amicis Job, qui fuerunt Idumaei: Theman enim fuit primaria urbs Idumaeae, ita dicta a Theman filio Eliphaz, filii Esau, Genes. xxxvii, 41.

9. ET TIMEBUNT FORTES TUI A MERIDIE (Chaldaeus, Vers. 6. habitantes ad meridiem, ideoque remotiores a Chaldaeis, qui venient ex adversa plaga, scilicet ex Aquilone, q. d. Timebunt fortes tui, etiam ii qui multissimi sunt ab hoste), UT INTEREAT VIR (id est multitudo virorum fortium) DE MONTE ESAU, — id est de Idumaea qua in montibus sita est, quam primus parens tuus Esau incoluit.

Ex Hebraeo verti potest ad litteram cum Septuaginta: Pacebunt bellatores tui de Theman; et cum Pagnino et Tigurina: Formidabunt fortes tui, o Theman urbs Idumaeae, eo quod occasione exciderint quisque e monte Esau. Verum, quia Theman Hebraeis et proprium est nomen, significans urbem, et appellativum significans austrum et meridiem, hinc Noster et Chaldaeus vertunt: «Timebunt fortes tui a meridie.» Quod tamen eodem redit:

nam urbs Theman sita erat ad meridiem. Nota hic modum quo Deus evertit reges, regna, respublikas et urbes, cum eas punire vult: nimirum auferet a regibus et magistratibus prudentiam; a civibus et militibus animos, audaciam et robur ad resistendum; utroque enim pollebant Idumaei, aeque ac pater Esau: utrumque eis abstulit Deus, veniente hoste Chaldaeo. Hoc est quod Isaias comminatur Hierosolymae cap. iii, 1: «Dominus exercituum auferet a Jerusalem, et a Juda validum et fortem, etc., consiliarium et sapientem (1).»

10. PROPTER INTERSECTIONEM, ET PROPTER INQUITATEM IN FRATREM TUUM JACOB. — Tigurina: Propter eam et injuriam (haec enim significat hebraicum DCH chamas) qua offecisti fratrem tuum Jacob (Jacobaeos, puta Iudeos) obteget te pudor. Vim et intersectionem intelligit, speciatim eam qua Idumaei junxerunt se Chaldaeis, cum eisque expugnarent et vastarentur Jerusalem, ut dixi in Proemio.

OPERIET TE CONFUSIO, — cum te videbis ab hisdem Chaldaeis, quos adjuveras, pari modo vastari, nudari, spoliari, occidi. Vox operiet, significat Idumaeos plane et circumquaque confusione quasi veste cingendos et operiendos, quata illud Psal. cxxviii, 29: «Induantur qui detrahant tibi pudore: et operiantur sicut diploide confusione sua.» Est metalepsis: ponitur enim confusio pro excidio: ex excidio enim secuta est spoliatio, ex spoliatio nuditas, ex nuditate opprobrium et irrisio hostium, ex opprobrio confusio. Hoc est quod Idumaeis intentat Jeremias cap. xxv, 9: «Ponam eos in stuporem, et in sibilum, et in solitudines sempiternas.»

ET FERUIS IN AETERNUM. — Hoc est quod fisdem ait Ezechiel cap. xxxv, 9: «In solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuae non habitabuntur.» Est hyperbole: aeternum enim vocat longum et immemorabile tempus. Nam Idumaeos vastatos a Chaldaeis non plane, nec in omne aevum perisse patet vers. 18, ubi Iudei dicuntur combusturi Idumaeos; et ex II Machab. x, 16, ubi Judas Machabeus dicitur subegisse Idumaeos; ac postea Tito obsidente Jerusalem, Idumaei tulerunt opem Iudeis, teste Josepho, lib. VII Belli, cap. xv. Denique Daniel, cap. xi, 41, dicitur quod Edom evadet manus Antichristi: durabit ergo usque ad Antichristum et finem mundi.

11. IN DIE CUM STARES ADVERSUS EUM (cum, o

Edom, stares armatus contra Israel et Jerusalem) QUANDO CAPIEBANT ALIENI (Chaldaei) EXERCITUM EJUS, ET EXTRANEI INGREDEBANTUR PORTAS EJUS (capta Hierosolyma), ET SUPER JERUSALEM (id est super spoliis et civibus quos ceperant in Jerusalem) MITTERAT SORTEM: TU QUOQUE ERAS QUASI UNUS EX HIS, — q. d. Tu pari modo quo Chaldaei invadebas, spoliabas, capiebas, vastabas Iudeos et civites Hierosolymae. Nota: Haec praeterita accipienda sunt propheticè pro futuris; stares pro stabis; capiebant pro capient; ingrediebantur pro ingredientur; mittebant pro mittent; eras pro eris. Abdias enim praecessit excidium Jerusalem, illudque hic praedicit, quodque in eo Idumaei adiuturi sint Chaldaeos.

12. ET NON DESPICIES IN DIE FRATRIS TUI. — Septuaginta omnia haec futura usque ad vers. 15, vertunt per imperativum: Et non despicias diem fratris tui in die alienorum, et non lateris super filios Juda in die perditionis eorum, et non magna loquaris in die angustiae eorum, etc., neque stabis in egressibus eorum, ut perdas qui salvantur ex eis, neque concludes fugientes ex eis in die tribunalis. Quae verba clara sunt: jubent enim Idumaeis, ut more suo Iudeis amplius non adversentur, nec insidentur, nec de eorum clade gaudeant, nec iis insultent. Sic et S. Cyrillus et Tigurina. Hoc est quod monet Sapiens Proverb. cap. xxiv, 18: «Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exsultet cor tuum, ne forte videat Dominus et displiceat ei, et auferat ab illa iram suam.»

Secundo, alii haec futura vertunt per praeteritum, non despicias, id est despiciere non debueras; non laterabis, id est laterari non debueras; non magnificabis, id est magnificare os tuum non debueras, etc., contra fratres tuos Iudeos. He sensus valde congruit Hebraeis et hebraismo; Hebraei enim futurum saepe per debitum exponunt, ut Genes. xx, 9, dicit Abimelech Abraham in Hebraeo: «Quae non fient,» id est, quae fieri non debent, «fecisti nobis.» Rursum hic sensus apte congruit praecedentibus; praecedit enim: «Tu quoque eras quasi unus ex eis,» cui recte subnecit: «Et non despicias,» id est, cum tamen fratrem tuum despiciere non debuisses, etc. Ita Pagninus, Arias, Vatablus et Prado in Ezech. xxv, 13. Idipsum voluit Chaldaeus, qui licet verbo tenus contrarie verbat, nimirum affirmative, cum Hebraea et Noster legant negative, tamen reipsa eundem sensum reddidit. Sic enim habet: «Et quia vidisti diem fratris tui, diem contractionis ejus, et quia letatus es super filios Juda in die interitus eorum,» etc., q. d. Videre cum voluptate diem excidii Hierosolymae, in caque laterari non debueras, et tamen vidisti, et letatus es: idcirco pariter et tu punieris et excideris (2).

(2) Hanc interpretationem prosecuti sunt Rosenmüller, Hendewerck, Ackermann, et Jägerus, qui existimat non

(1) Gravissima haec Idumaeorum calamitas, unde et quo tempore eventura sit, Propheta non declarat; ait Josephus, Archaeol. X, ix, narrat Nabuchodonosorem quinto post Hierosolymae vastationem anno, Ammonitis et Moabitibus bellum intulisse, eisque in potestatem suam relictis expeditionem suscipere in Aegyptum. «In hunc igitur annum, inquit Schürerer (in Dissert. philol. in Oboitiam), quitur a vastata Hierosolyma, Idumaeae quoque expugnationem incalibile credibile est: quod regi Babylonio in Aegyptum cum exercitu proficiscenti Idumaei Moabitibus Ammonitisque intar et Aegyptum media obscaulat, nec poterat omnino intacta, aut praesidiis non salis munita a tergo relinqui haec provincia.»